



Disputatio juridica inauguralis de ritu nuptiarum

<https://hdl.handle.net/1874/347594>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE

55.

RITU NUPTIARUM,

QUAM,

AUSPICE DIVINO NUMINE

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbiq; Divini ibidem in
Ecclesiâ Præconis,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimæque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in **UTROQUE JURE** honoribus & Privilegiis
ritè & legitime consequendis,

Eruitorum examini subicit

HENRICUS FAGEL, HAC-BAT.

A. D. 17. Martii, horis locoque solitis.




TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ **FRANCISCI HALMA,** Academiæ
Typographi, clō Ibc xc.

DISPUTATIO JURIDICA
IN ACADEMIA
D. E.
DITTI NUPTIARUM
AUSPICE DIVINO NUMINE
Ex Auctoritate Magnifici D. Rektoris
D. HERMANNI ATQUE
22. Theologiae Doctoris, publicae Facultatis, Juris, Academiæ
Jurisprædici Professoris Ordinarii, Vespigii Divini ibidem in
Facultate Jurisprædici Ordinarii, Juris, Academiæ
PRO GRADU DOCTORATUS
Summius in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
rursus & legitimis condecoratus,
Examinatus exoptatus, sedit
HENRICUS FAGEL, HAG-BAT.
A. D. 17. Martii, hinc locutus fuit.

FAUTORIBUS

AMICIS.



Hæc Theses Inaugurales

D. D. D.

HENRICUS FAGEL, A. & Resp.

Ex Officina FRANCISCI HALLMANNI, Academiæ
Typographi, cl. lxx.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,

DIE

RITU NUPTIARUM.

THESIS I.



Nuptiarum vox tum Jctis tum aliis præstantissimis Auctoribus varie accipitur, sumitur enim pro festivitate & pompa nuptiali *l. 24. C. de nupt.* vel frequentius pro ipso matrimonio, ut hoc loco, atque has nuptias à nuptu id est opertione & velamento dictas esse Auctor est Varro, eo quod olim novæ nuptæ pudoris ergo, caput flammeo obnubere solebant. Apud Judæos quoque nubendi seu velandi sponsam recepta erat consuetudo, quandoquidem Rebecca, obvoluto capite, ad conspectum Isaci in terram sese projecit *Gen. cap. 24.* in testimonium forte subjectionis & pudoris.

I I.

Nuptiæ five matrimonium est viri & mulieris conjunctio individuum vitæ consuetudinem continens §. 1. *l. de parr. posses.*

A 2

vei

4 DISPUTATIO JURIDICA

vel consortium omnis vitæ, divini & humani juris communica-
tio *l. i. ff. b. r.* à quibusdam etiam definitur, quod sit unius
maris & fæminæ legitima & indissolubilis conjunctio, juxta
divinam institutionem, mutuo utriusque consensu inita, ad
generis humani propagationem, ac mutuum vitæ adiutorium:
sed hæc per se nota, ideoque superflua sunt, sitque prior defi-
nitio in Institutionibus expressa, nostra, quoniam & brevior
& melior est.

I I I.

Definitionis explicationem aggredimur, Dicitur (1) viri &
mulieris; nam duorum ejusdem sexus conjunctio detestanda est:
l. 31. C. ad l. Jul. de Adult. Mulieris, ad excludendam poly-
gamiam simultaneam, id est, nuptias cum pluribus uxoribus
eodem tempore contractas: successive autem plures habere
uxores, id est soluto rite matrimonio, aliam ducere prohibi-
tum non est: nec Jure Divino *Rom. c. 7. v. 2. & 3. & 1 Cor.*
7. v. 39. nec Jure Civili *tot. tit. de sec. nupt.* simultanea autem
polygamia omni jure prohibita est (1) Jure Divino *Math. c.*
19. v. 8. & Levit. c. 18. v. 18. (2) Jure Civ. *l. 1. ff. de his qua*
not. infam. l. 2. C. d. inc. nupt. (3) Jure Canon. *c. 2. extra de*
spons. duor. & c. 8. extra de divort. (4) Jure naturæ, nam amor
conjugalit debet esse summus atque perfectus, & fides semel
data servanda est.

I V.

Dr. (2) conjunctio: non corporum (quæ extra matrimo-
nium esse potest) sed animorum; nuptias enim non concubi-
tus, sed consensus facit *l. 30. ff. de R. I.* intellige etiam legitimam
ut excludatur concubinitus *Nov. 89.* qui jure Civili quidem
permiffus seu extra legis pænam est *l. 3. §. 1. ff. de concub. l. 5.*
ad SCtum Orph. Nov. 18. c. 5. sed non simpliciter approbatus,
& hoc

& hoc inde patet quia liberi ex concubina nati non sunt legitimi, sed in specie naturales dicuntur à patre quidem alendi, in aliis vero à legitimis differunt *vid. tot. tit. de natur. lib.* toto ergo cælo differt, quod sc. quid sit tantum permissum, an vero approbatum.

V.

Dr. individuum vitæ consuetudinem continens: votum enim & animus contrahentium est ut matrimonium sit individuum nec nuptiis facile renunciare licet, & Christiani non nisi ob graviores causas divortia admittunt *Nov. 117. c. 8. & 9.* hæc verba quoque latius explicantur à Modestino *l. 1. ff. h. t.* in verbis Divini & humani juris communicatio: per Divinum jus ibi intelligitur societas religionis *l. 6. C. de judæis* communicio sacerorum arg. *l. 9. §. 2. ff. de ver. div.* per jus humanum intelligitur communicio domicilii *l. 1. §. 15. ff. de Scto Silan.* perfecto quoque matrimonio uxor sequitur forum mariti *l. 38. §. 3. ff. ad Municip. l. 65. ff. de judic.*

VI.

Ut nuptiæ juste & legitime contrahantur, requiritur primo ut contrahentes sint Cives Romani *pr. I. de nupt.* quales sunt ex constitutione Antonini omnes liberi homines in orbe Romano *l. 7. de stat. hom.* nam servis & peregrinis jus connubii (quod proprium est Civium Romanorum) ademptum est, quod constitutum fuit, ne Romanæ Civitatis honor passim sordesceret. Hinc servorum nuptiæ aut connubia non erant sed contubernia. *l. 3. C. de incest. nupt.* & ancilla servo juncta non vocabatur uxor, sed contubernalis. *l. 41. §. 2. de leg. 3.*

6 DISPUTATIO JURIDICA

V I I.

Secundo requiritur, ut contrahentes habeant justam ætatem hoc est, masculi quando annum 14. fæminæ 12. impleverunt. *in fin. pr. l. quib. mod. int. fin.* & quod dicit Imperator *in pr. l. de nupt.* Masculi puberes, fæminæ autem viripotentes, jus civile enim hoc casu præsumit eos natura ad matrimonium consummandum idoneos & habiles esse. Jus vero Canonicum in nuptiis non ex annorum numero, sed coëundi potentia dijudicandum statuit, ita ut etiam fæmina ante 12 annum viripotens recte matrimonium contrahat. *c. 3. & 9. extra de despons. impub.* ubi dicitur quod malitia supplet ætatem.

V I I I.

Requiritur & 3. consensus tam contrahentium, quam eorum quorum in potestate sunt, sine quo nuptiæ consistere non possunt *l. 2. ff. b. r.* & qui est de substantia & quasi causa efficiens matrimonii, cum nuptias solus consensus faciat *l. 30. ff. de R. J.* dummodo declaratus sit verbis aut facto, adeo ut pompa vel nuptialis festivitas non sit de substantia matrimonii *l. 22. C. b. r.* primo autem requiritur consensus ipsorum contrahentium, qui consensus debet esse certus, non erroneus, nam si quis dum nuptias contrahit sit furiosus & mente captus nuptiæ non subsistunt, *l. 8. ff. de spons. & l. 40. ff. de R. J.* nuptias tamen ante furorem contractas furor superveniens non dissolvit. *l. 16. §. ult. ff. de rit. nupt. l. 8. ff. de his qui sunt sui vel al. jur.* Quid autem si error intervenerit? Dist. est, nam si quis erravit in persona, putans esse Titiam cum qua contrahit, cum sit Sempronia, talis error matrimonium vitiat. Nihil enim consensui tam contrarium est quam error *l. 15. ff. de jurisd. & l. 9. ff. de contr. empt.* si vero circa accidentalia erratum sit, veluti in forma, divitiis, & nobilitate hic error matrimonium non vitiat, quoniam hæc vel adesse vel abesse possunt salvo matrimonio.

monio. Quod ad dolum attinet communiter requiritur talis qui consensui omnimodo contrarius est, & simul pugnat cum substantia matrimonii: vim & metum vitare & annullare matrimonium extra dubium est, nisi metus sit reverentialis, à quo absunt verbera, vincula &c. l. 22. ff. b. r. l. 7. & 12. ff. de spons. metus intelligitur talis qui cadit in constantissimum hominem. l. 5. & 6. ff. quod met. caus. gest. est.

I X.

Quid si in virginitate erratum sit? sine dubio subsistent nuptiæ, quia virginitas non ita est de essentia matrimonii, ut propterea nuptiæ sint ipso jure nullæ: justissima tamen est causa petendi ut dissolvatur matrimonium: verus enim & proprius nuptiarum finis est, ut pater cui incumbit educationis officium, sit certus de prole sua; hic vero nulla alia ex causa certus esse potest, quam quia præsumptio juris militat pro legitima cohabitatione, atque ea cessat in vitiata quæque semel violavit pudorem suum. Hoc manifeste probatur per nov. Leonis 93. ubi eadem ratio redditur, quia nihil magis adversatur matrimonio. Frustra autem objicitur quod virginitas non pertineat ad essentiam matrimonii, sed accidentale quid sit: nam nullum negotium rescinditur ob defectum ejus, quod de substantia est, quia tunc est ipso jure nullum, sed ob vitia accidentalia: deinde hic non est error qui plane extrinsecus accedit, ut error infortunis, sed intrinsecum quid continet, quia repugnat fini nuptiarum, qui hic est ut certus sit pater.

X.

Diximus de consensu eorum qui nuptias ineunt, sed & parentum quoque, quorum in potestate sunt, consensus requiritur, & quidem jure civili filius, qui in potestate patris est necessario consensum ejus adhibere debet, quo non adhibito matrimonium erit illegitimum, & liberi illegitimi pr. F. de nupt. &c.

8 DISPUTATIO JURIDICA

& l. 12. C. eod. quod & civilis & naturalis ratio suadet, civilis, propter patriam potestatem: naturalis propter reverentiam parentibus debitam, l. 2. ff. de just. & jur. in filii vero emancipati nuptiis parentum consensus non est necessarius l. 25. ff. de nupt. ad nepotis nuptias patris & avi paterni consensus requiritur, adeo ut si uterque vivat, etiam utriusque consensus sit necessarius l. 16. §. 1. eod. ne filio invito agnascatur suus heres §. 7. ff. de Adopt. nuptiæ autem sine consensu contractæ ipso jure nullæ sunt pr. ff. de nupt. l. 12. C. eod. si vero de facto absque parentum consensu, quorum consensus desideratur nuptiæ contrahuntur, sunt nullius momenti, nec est dotis, nec donationis propter nuptias exactio §. 12. ff. h. t. sufficit parentum consensus sive tacitus sive expressus sit, veluti pater qui nuptiis filii non adversatur, consentire intelligitur, & natum ex eo nepotem alere cogitur. l. 5. C. h. t. liberi tamen à parentibus non sunt cogendi ut cum hac vel illa persona conjugium ineant l. 21. ff. h. t. imo & aliquando sine parentum consensu liberi contrahunt matrimonium, ut cum parentes consentire nequeant, nempe propter absentiam vel captivitatem l. 10. & 11. ff. h. t. & l. 25. C. eod. vel si oblata liberis honesta conditione, pater dissentiat, vel injuria filium uxorem ducere, filiamve nubere prohibeat, aut dotem dare nolit: hic Magistratus aditus patrem, causa cognita, coget in matrimonium collocare & dotare l. 19. ff. h. t.

X I.

Quæritur, si ab initio pater nuptiis filii familias non consenserit, sed ex intervallo eas ratas habuerit, an ratihabitio non faciat matrimonium retro legitimum? Resp. verior probabiliorque sententia est non facere, nuptiæ enim ex eo tempore demum justæ intelliguntur, ex quo eas ratas habuit pater pr. ff. de nupt. l. 11. ff. de stat. hom. in quibus expresse requiritur ut consensus patris præcedat & per l. 13. §. 6. ff. ad L. Jul. de Adult. Opp. l. 5. C. h. t. Resp. illa lex loquitur de tacito consensu, non de ratihabitione.

XII. An.

XII.

Antequam ad cætera pergam, unica adhuc quæstio hic proponenda erit, nimirum an consensus matris ad nuptias liberorum requiratur, & statuendum, tanquam probabilius de Jure Civili, quod matris consensus ad liberorum nuptias non requiratur, ratio est manifesta, quia eorum tantum consensus in nuptiis desideratur, qui in contrahentes patriam habent potestatem. *pr. l. h. t. l. 2. ff. & l. 35. ff. eod.* at vero cum liberi non sint in potestate matris §. 10. *l. de Adopt. §. 3. l. de hered. qual. & diff. & l. 8. C. h. t.* ideo etiam nec ejus consensus censetur necessarius. Non aliud quoque suadent *l. 1. & 20. C. h. t.* quia de illius puellæ nuptiis loquuntur, quæ nimix verecundiæ cultu ducta, voluntatem suam depromere volebat, sed totum negotium proximioribus necessariisque suis relinquebat, quidam autem obijciunt decalogi illud præceptum honora patrem tuum & matrem tuam cui convenit *l. 6. ff. de in jus voc.* in verbis, una est enim omnibus parentibus reverentia. Verum Resp. ex honore & reverentia parentibus debita hanc rem non dependere, sed ex patria potestate.

XIII.

Restat ut videamus inter quas personas nuptiæ sint prohibitiæ, quæ prohibitio partim natura, partim jure contingit, natura capaces non sunt, qui facultate sobolis procreandæ destituuntur, ut Impuberes, Castrati §. 9. *l. de Adopt.* Spadones quibus vitium ad tempus est matrimonium contrahere possunt *l. 39. §. 1. ff. de jure dot. §. 9. l. de adopt.* prohibentur vero furiosi qui dilucida intervalla non habent. *l. 8. ff. de his qui sunt sui vel al. jur.* quæ si habent recte matrimonium contrahunt *l. 8. ff. de spons. l. 16. §. ult. ff. de rit. nupt.*

XIV.

Jure prohibentur nuptiæ (1) ob statum: sc. peregrini & servi in Republ. Romana (2) ob totalem religionis diversitatem cum illis qui sunt extra ecclesiam matrimonium interdicitur *l. 6. C. de judæis & calic.* (3) respectu dignitatis publicæ prohibebantur senatores & alii dignitate conspicui ducere humiles & abjectas fæminas, ex diverso quoque viri humiles verébantur ducere uxores nobiliores *l. 16. pr. l. 42. §. 1. & l. 44. ff. h. t. & l. 7. C. de incest. nupt.* jure autem novissimo digniori humilem ducere non interdicitur *l. 23. C. h. t. nov. 51 78. c. 3. & Nov. 117. c. 6.* ita & hodie subsistit matrimonium nobilium cum plebejs, ac mulier plebeja si nubat viro nobili hujus nobilitatem participat. Ob publicam potestatem prohibentur Rectores Provinciæ cum Provinciali *l. 38. & 65. §. 1. ff. h. t. vel eorum filii l. 57. ff. eod. l. un. si rect. provinc.* Propter violentiæ præsumptionem inter raptorem & raptam *l. un. C. de rapt. virg.* prohibuit quoque jus Civile nuptias tutoris vel filii ejus cum pupilla adultave, nisi pater pupillæ ita voluerit *l. 36. ff. h. t. 59. & 66. h. t.* quod moribus non obtinet.

XV.

Præcipue autem nuptiæ prohibentur propter nimiam necessitudinem, quæ est ex cognatione contrahentium aut ex eorum inter se affinitate. Cognatio duplex est directa & transversa, directa est parentum & liberorum, inter hos omni jure nuptiæ prohibentur in infinitum §. 1. *l. de nupt. l. 53. & 55. ff. de rit. nupt. l. 17. C. de nupt. & Nov. 12. c. 1.* quod si coierint inter se, nefarias atque incestas nuptias contrahunt §. 1. *f. de nupt. l. ult. C. de incest. nupt.* transversa est eorum, qui ex latere conjunguntur, estque vel æqualis ut fratrum, sororum, vel confobrinorum, vel inæqualis eorum, qui parentum & liberorum invicem numero sunt, in gradibus æqualibus Nuptiæ ad quartum

tum gradum prohibitæ, illo vero gradu concessæ sunt §. 4. *F. b. t. l. 19. C. b. t.* jus Canonicum quartum gradum inclusive prohibet; ita ut à quinto gradu possit fieri initium: in inæqualibus in infinitum prohibitæ sunt, habita ratione non numeri graduum, sed imaginis parentium.

X V I.

Affinitatis quoque veneratione à quarundam nuptiis abstinendum est §. 6. *I. h. t.* est autem affinitas necessitudo contracta inter conjugem & alterius conjugis cognatos *l. 4. §. 3. & 4. de gradib. & affinitib.* eadem quoque ratione prohibentur nuptiæ inter affines qua inter conjuges qui sibi parentum & liberorum loco sunt §. 6. *F. de nupt. l. 39. ff. de rit. nupt.* gradus affinitatis proprie nulli sunt, quia affines ab affinibus non generantur *l. 4. §. 5. ff. de grad. & affir.* quosdam tamen quasi affinitatis gradus Iustus Paulus agnoscit *l. 10. in pr. ff. eod.* & quoto gradu quis marito conjunctus est consanguinitate, eodem gradu uxori conjunctus est in affinitate, & sic contra.

X V I I.

Denique ut videamus pœnam eorum qui prohibitas nuptias contrahunt, quæ hæc est, quod ex conjunctione illegitima, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos, nec donatio propter nuptias intelligitur §. 12. *F. b. t.* liberi etiam ex tali coitu suscepti iniusti sunt *l. 11. ff. de stat. hom.* & spurii vocantur *l. 23. ff. eod.* quasi sine patre filii, non quod sine patre sint, sed quoniam vulgivarerunt natis, pater incertus est. *vinn. ad §. 12. F. de nupt.* hi tamen matris conditionem sequuntur *l. 19. ff. eod.* aliàs incestas nuptias contrahentes pro qualitate delicti puniuntur *Auth. incestas C. de incest. nupt.*

X V I I I.

Hactenus vidimus quid sint nuptiæ, quomodo contrahantur & inter quas personas prohibentur, ut etiam pœnam eorum prohibitas nuptias contrahentium, nunc videamus quas ob causas nuptiæ dissolvuntur. Matrimonium monte dissolvi constat, inter vivos nuptiæ solvuntur alterius conjugis adulterio, & malitiosa desertione *l. 8. C. de repud.* sic etiam quinquennii captivitate *l. 6. ff. de divort. & nov. 22. c. 7.* quia servitus semel superveniens alteri ex conjugibus æqualitatem ex nuptiis manere non finit, & cum per captivitatem quis efficiatur servus, jus civile servorum non admisit matrimonia *l. 3. C. de incest. nupt.* atque ita contingente tali captivitate, tanquam si mors intervenisset matrimonium dissolvitur, quoniam servitus mortalitati comparatur. *l. 209. ff. de reg. jur.* sed hæc à Justiniano correctæ sunt per *Nov. 117. c. 11.* in qua mulieri non aliter novas nuptias contrahendi licentiam dedit, quam si liquido probaverit maritum esse mortuum, quam constitutionem etiam jus Canonicum agnoscit, & ad paganorum nuptias extendit *c. 2. extra de secundis nuptiis de divortiis* hic nihil agam quia illa materia amplissimam disputandi exhibet segetem.

A N N E X A.

1. **M**inor 17. annis non potest esse procurator ad lites.
2. Res aliena oppignorari nequit.
3. Pater filio exheredato potest dare tutorem.
4. Mulier potest renunciare Scto Vellejano.

F I N I S.